

dolorem, voluptatem, amorem, odium omnesque alios appetitus & affectus in illo & pro illo sentiat, quin imò ut unum & eundem hominem cum eo componat, facile homines minus ad animæ naturam attenti, in eam veniunt opinionem, ut ex corporis corruptione mentis interitum sequi existiment.

3. Et quis vulgo animum mori iudicat nisi in morte & propter mortem hominis, quæ sensibilem corporis destructionem anteambulonem habet aut comitem? Unde multi eruditorum in eo putant acquiescendum, si inter corporis & animæ mortem duce ratione omnis affinitas, omnis connexio tolli intelligatur.

4. Sic ergo si quæstioni de immortalitate animæ satis potest fieri, non difficile nobis proponitur negotium. Nam primò mors humani corporis in aliqua partium divisione aut figuræ mutatione consistit: anima verò nostra non habet partes, nec figuram: nec proinde illa talis mutatio ac divisio potest ad animam pertinere aut penetrare.

5. Deinde, si anima moreretur, non aliter hoc fieri posse percipimus, quam per  
simpli-